

ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
PRORECTOR,  
FRIDERICVS HOFFMANNVS,  
POTENTISS. REGIS BORVSSIAE CONSILIARIVS  
INTIMVS PRIMARIVSQVE ARCHIATER, COMES PALA-  
TINVS CAESAREVS, ACADEMIAE SENIOR, SOCIE-  
TATVM IMPERIALIS CAROLINAE, RVSSICAE, BRI-  
TANNICAE ET BORVSSICAE SODALIS,

VNA CVM

CANCELLARIO, DIRECTORE  
ET PROFESSORIBVS RELIQVIS,  
CHRISTVM IESVM  
E MORTVIS SVSCITATVM,  
SVB TYPO

*NOACHI E DILVVIO EMERGENTIS ET EX ARCA EMISSI,  
CIVIBVS ACADEMICIS,  
SIVE NATALIVM SPLENDORE, SIVE VIRTVTVM ET  
DOCTRINAE STUDIO FLORENTISSIMIS,  
IN PASCHALIBVS FERIIS*

A. cIo Io cc XL.

PIE MEDITANDVM COMMENDAT.

ib . . . . .  
a . . . . .  
0, 6  
lib . . . . .  
diss. A

HALAE MAGDEBVRGICAE,

IMPENSIS CHRIST. LVDOV. SYMPHERI, ACAD. TYPOGR.

24. A. 180 (6.)

~~74~~ ~~74~~



ACADEMIAE THEOLOGICAE  
PROFESSOR


FRIEDRICH HOFFMANN  
POTIUS RECTOR BORSSE CONSILIARIS  
UNIVERSITATIS ARCHIDIACONUS COMITIS PALATINI  
CANTONENSIS ACADEMIAE THEOLOGICAE  
THEOLOGICAE UNIVERSITATIS RECTOR  
THEOLOGICAE UNIVERSITATIS

CANCELLARIUS DIRECTOR  
ET PROFESSOR



CHRISTVM IESVM  
I. MORTALIS VITAE

IN PASCUALIBUS FERIIS  
A. M. D. C. C. XI.



CHRISTVM IESVM  
EXTERIS CHRISTVM IESVM





**I**lluxit, Ciues carissimi, faustus ille & salutaris dies, qui memoriæ excitati ab inferis seruatoris nostri Iesu Christi sacer est: quæ ingens res, cum velut umbra quadam atque simulacro significari videatur sine diluuii, & emissione Noachi ex illa, in quam se contulerat, nauis, tum icto cum vniuersa hominum familia fœdere; commode nos facturos arbitramur, si eximium hunc typum, quo venturi olim Seruatoris resuscitationem adumbravit summi Numinis sapientia, defigere in vestris penitus animis studuerimus.

Quae cum historia Gen. VIII. a versu 15. vsque ad v. 17. capitis IX. contineatur, admouebimus hos vestris animis versus. Nec vero verba hæc Mosis trahi in hunc locum ingenii quadam vi existimetis. Summum Numen, ad ea sæpius adludens, ipsum nos errantes quasi & vagos huc deducit: quo in genere sunt loca, 1 Petr. III, 21. vbi aqua baptismi diluuii vndis significata dicitur, & Ies. LIV, 9. Atque etiam ipsa res loquitur; & ea, quae de arcu in nubibus collocato Gen. IX, 13. dicuntur; vtique eiusmodi sunt, vt nisi ad Iesum Christum aliqua significatione referas, vix illam teneant



ant dignitatem, qua oracula summi Numinis tincta sunt. Quæ si colligas, eamque rationem, qua Paullus in diuinis libris explicandis vtitur, quasi adhibeas in consilium; intelliges vtique, summas res hac historia, sanctissima quadam similitudine exscribi.

Et vero ipse Noachus, alter generis humani pater, cuius quasi vniuersi personam sustinet, vel eodem iure typus Christi dicatur, quo Adamus, a quo Seruatori nostro secundi Adami nomen ductum, 1 Cor. XV, 45. 47. Rom. V, 14. Accedit nomen, נֹחַ NOACHVS, a quiete natum & refocillatione: cuius rationem ipse reddit Noachi parens, Genes. V, 29. *HIC consolabitur nos ab opere nostro, & a labore molesto manuum nostrarum, in terra, quam execratus est Dominus.* Insigni insuper in Hebraicis (ex quibus hæc hausta sunt) litteris Pronomine demonstratiuo, HIC, duobus accentibus, non sine pondere orationis: qui hanc vocem quasi bis positam existimari iubent, vt in HOC vno solatium esse videatur, reliqua plena credantur luctus & acerbitatis. Quæ quidem magnopere in Iesum Christum cadere arbitramur, veri solatii, pacis, otii vnicum fontem. In eum vos sub ipsa scriptionis nostræ initia intueri iubemus: *ille, ille* etiam vos vera poterit perfundere voluptate. Quæcunque in terris sunt, ea vana, ea caduca, & teste Salomone, animos miseris curis exedunt, quamuis splendidissima videantur. Ipsa ea, quibus in Athenis nostris operam datis, litterarum studia, sine eo beatos vos reddere nequeunt: nec enim æternam spem ostendunt. Ipse, ipse est, ad quem omni animo contendere debetis; ipse, pronuntiata pace cum Deo & venia peccatorum, vitam vobis iucundam reddet, vt gloriari possitis: *Iehoua est pastor meus, nihil mihi deerit.* Ipse non potest solum beatos vos reddere, sed & id facere mirifice gestit, vosque



vosque inuitat: *accedite, inquit, ad me ærummofî omnes & onerati, ego vos refocillabo.*

Iam vero, quemadmodum primus ille Noachus, fluctibus submerso orbe, omnes maris iniurias pertulit, vixque ab interitu vindicauit vitam; ita & hic, qui Noacho maior est, iræ diuinæ vndis penitus nostra caussa immerfus est, de quibus Ps. LXIX, 2. *Saluum me fac, Deus; nam venerunt aquæ usque ad animam. v. 3. Immerfus sum luto profundi, nec est ubi consistere possim: veni in abyssos aquarum, & fluctus obruit me.* Nec enim solo corpore pœnas pendit, nec eam modo mortem, quæ cerni poterat, subiit; sed omnes irati Numinis minas, quas immenso cuidam mari comparat, & quarum tantum erat pondus, vt ipsum immensum Filium Dei in summas coegerint angustias: quarum is quidem acerbissimam æstimare & magnitudinem quodammodo poterit, qui ipse cum Christo mortuus ingemiscere suis peccatis didicit. Prior Noachus *expectasse* dicitur, Gen. VIII, 10. ea adhibita voce, cuius vis significationem anxii desiderii attingit: hic multo etiam magis. Sic enim Ps. LXIX, 4. *miserias deplorat suas: Fessus factus sum clamando; adustum est guttur meum: contabuerunt oculi mei, expectantis Deum meum.* Illius meminit Deus, & miseratione ipsum amplexus est, Gen. VIII, 1. tandemque, submotis diluuii aquis, in siccum iussit incolumem prodire: hunc, cum iræ diuinæ poculum & flumina Belialis exantlassent, non passus est in sepulchro manere, nec putredine consumi, sed omni malo liberatum prodire iussit, suoque æternum amore frui. Quod ipsum his diebus omnibus præconiis celebratur.

Id vero, quod nostram salutem & incolumitatem maxime attingit, fœdus illud est, quod Noachico fœdere, quasi aliquo nutu, demonstratum, cum excitato ab inferis



Messia ietum est. Dicitur quippe Gen. VIII & IX, Noachum terris redditum, sacrificiis Numen placasse, Deumque fœdus cum ipso ac semine ipsius percussisse, his legibus<sup>1</sup>, ne post simile diluuium terras obrueret, nec cessaret æstas atque hiems, frigus & calor. Eadem igitur ratione fœdus cum Messia eiusque gente iniit reconciliatus Deus. Illud vero totum natum ex præstantissimo isto sacrificio, quo Iesus Christus se ipse animumque suum obtulit: cuius suauis fragrantia Pater cælestis est declaratus, Genes. VIII, 20. 21. Eph. V, 2. Obstrinxerunt fœdere se illo, Deus optimus maximus, qui vobis iam indulgentiam suam atque gratiam offert, & Messias, (tanquam alter Noachus) cum omni sua (vt ita dicam) familia. Atque sicuti tunc temporis omnem diluuiorum metum pacatum Numen sustulit; sic Messia nostro hoc fœdere ita cautum est, vt ab omni morte atque mortalitate deinceps immunis esset. Sic enim de eo Paullus Rom. VI, 19. *novimus, quod Christus excitatus ab inferis non denuo moriatur: mors in eum nihil dominii habet.* Quemadmodum vero prisca illius fœderis beneficium ad omnem terram, & omnia, quæ hac continentur, animantia pertinebat, ea conseruaturum: sic huius amplissimæ pacis suauitas omnem terrarum orbem fouet. Sic enim habeatis, nullis aliis quasi columnis eum sustineri, vindicarique ab interitu, nisi Christi isto sacrificio & sancto fœdere: huic vitam, & auram, quam ducitis, & omnia ea beneficia, quæ in articulum primum a Theologis coniiciuntur, accepta referre debebitis: & ita vero referre, vt ipse horum beneficiorum fructus stimulos vobis pietatis addat; ne, dum Seruatoris vestri quasi manu omnia, quibus continetur vita vestra, vobis suppeditantur, arma contra ipsum ferre sustineatis. Nec enim existimare debetis, eam, qua  
gaude-



gaudetis, vitam ideo vobis concessam, orbemque terrarum ea vos de causa sustinere, alere, vobisque inservire, ut in diem vivatis, immemores æterni, cui Deus vos creavit, ævi: sed omnia puncta temporis & momenta ita apud vos collocata scitote, ut animis vestris emendandis tribuenda, vobisque olim de illis ratio reddenda sit.

Quemadmodum vero prisca illa pax, si a Noacho discesseris, maxime ad ipsius filios pertinebat, ita hæc Iesu Christi progeniem quasi & familiam singulari suavitate amplectitur. Illis metus omnis novæ inundationis eximebatur; his ab inundatione iræ pœnarumque a summo Numine profectarum cautum est: in quem sensum ipse Iesaias priscum illud fœdus transfert, capite LIV, 8. 9. *Momento irae paullulum occultavi faciem meam a te; sed æterna gratia te complectar; inquit vindex tuus Iehoua. Nam hoc mihi erit Noachicarum aquarum instar: siquidem iuravi, non effundendas esse aquas Noachi denuo super terram; sic iuravi, non me irasci tibi, nec te increpare velle.* Beatissimos profecto illos, qui ira divina æternum se liberatos, & ad peculiarem summi Numinis indulgentiam pertinere sciunt. Omnia illis in hoc vno fœdere sunt: pater & Deus Iesu Christi ipsorum Deus est atque pater: huius fœderis beneficio infinitam Christi iustitiam, omnes, quæ requiruntur ad debellandum peccatum, vires, omnem diuinam sapientiam, & quidquid ipsis cordi fuerit, accipiunt. Cuius fœderis desiderio vtinam, Cives carissimi, incenderemini! Cogitate enim, quantum sit liberari istis conscientiaæ vulneribus, quibus impii homines ita vexantur profecto atque agitantur, ut de morte & iudicio Dei non sine horrore meminisse possint. At reputate, qua dulcedine animum perfundat, certo nosse certius, Deum placatum esse, ab eoque etiam atque etiam refocillari, coli, diligi.

At,



At, qui sunt, quibus hæc omnia benignissimo illo fœdere actu ipso tribuuntur? Familia quidem, vt diximus, Iesu Christi; id est, homines regenerati, & quasi ex ipsius suspiriis nati & sanguine. Nec ergo eo gaudere possunt, qui peccatorum atque libidinum serui sunt: nec vero illi, qui, quamuis honestam & probabilem forte hominibus vitam degunt, nunquam tamen ex Deo nati sunt. Qui siue voluptatem aliquam sibi peruersæ mentis errore fingunt, siue ob eam, quæ hominum oculos decipit, honestatem Deo gratos se credunt esse; inani somnio eluduntur: sentient vero aliquando (& vtinam hic sentiant, dum pœnitentiæ locus est) miseros se esse, egenos, cæcos, hostes & aduersarios Dei. Requiritur potius, vt vero animi dolore peccata & labe conscientiæ exhorrueris tuas, omnibus peccatis nuntium miseris, & ad sola Seruatoris vulnera summo desiderio, tanquam ad sacram quandam anchoram, confugeris. Quod qui faciunt, ex vulneribus, vt dixi, & suspiriis Iesu Christi denuo nascuntur, ex hisque nouam accipiunt vitam, Deo consecratam, æternitati sacram.

Sed ad ea pergimus, quæ restant, magnopere illa quidem insignia. In prisco illo fœdere Deus constituisse se dicit arcum suum in nubibus, vt signum fœderis se inter atque homines esset. Hunc sibi, quoties nimbos induceret terris, adpariturum, commoturumque fœderis, quo cum hominibus coniunctus sit, memoriam. Ad quem hæc? Agnoscit isne hic manum illam Dei, Messiaë quasi faciem Iridis similitudine exscribentem? Quid enim sine illo arcus? Qui vel ante diluuium vtique iam fuerat, nec valde labantem hominum confirmasset fiduciam, nisi maiora quædam esset complexus. Christus quidem verus est ille arcus in nubibus, de quo Ps. LXXXIX, 38. *Vt luna stabilietur æternum; & vt testis in æthere certus erit.*

Con-



Contemplamini illam primum, quæ est maxime in promptu, pulchritudinem arcus cælestis, quæ ex suauissimis coloribus confecta oculos sua specie detinet. Eadem est in Christo, pulcherrimo inter filios Adami, Ps. XLV, 2. cuius adspectu Pater cælestis ab infinitis iam sæculis delectatus est; qui voluptas est & desiderium beatorum animorum; qui idem sanctas omnes, quæ in terris sunt, mentes sua suauitate perfundit. Remittit enim culpam, miserimos peccatorum in amicitiam atque animum suum recipit, solacio eos perfundit, erigit adflictas & humiles mentes spe æternæ beatitudinis, suppeditat vires ad bella spiritualia, consilio eos suo iuuat, nec vlla vnquam re egere patitur: quin altius & penitius ab illis vult inspicere, & mira familiaritate intelligi, quam homo hominem, aut fratrem frater intuetur. Quæ dum dicimus, nolite existimare, in verbo hæc tantum esse: sic potius habete, & oraculis diuinis, & omnium, qui experiri voluerunt, experientia & testimonio confirmari mirabilem hanc pulchritudinem Seruatoris nostri. Quam si nondum ipsi vidistis, quin aueatis videre! quin supplices ad ipsum accedatis, desiderantes hanc voluptatem, donec oculos vestræ mentis ipse plane in se ita converterit, vt deiicere de eo nullo tempore queatis.

Idem porro arcus, a cæli fastigio in ipsam terram descendens, eum germana similitudine refert, qui & cæli, id est Dei, filius, & gentis humanæ alumnus est; Iesum, medium quasi cælum inter & terras, viamque illam & scalam, qua iter in sublimem istam domum patet. Ipse enim, summus licet Deus, nostrum genus tamen attigit, & arcta quidem cognatione, dum fratrem se nobis præstitit: ne essent, qui splendore maiestatis obruerentur, sed vt omnes

B

fidenti



fidenti animo ac læto ad dulcissimum Fratrem accederent, per eumque ad Patrem venirent.

Idem vero arcus iam ante-diluvii tempora (quis enim id negare velit?) cælum ornabat, nec tamen pacis erat signum: quo nomine demum post inundationem comparuit. Ita Iesus Christus ab omni retro ætate, vel potius æternitate, ante ipsa exordia mundi existebat; nihil tamen misero hominum generi profuturus, nisi diluuium se iræ diuinæ immerfisset, quo factum iam & auctor est & testis propensæ Dei in nos voluntatis. Eademque ratione in ipsis hominum animis res se habet. Nisi enim nubila quædam prægressa fuerint, (sunt vero illa terrores conscientie perhorrescentis iram Dei) minime ille, qui animam pro nobis profudit, solatio nobis esse potest, & dulci hac quasi iridis specie cerni. Qui vero pœnitentiæ haud fictos angores fenserunt, dulcissimam hanc imaginem oculis fidei contemplantur.

Tandem de arcu dicit Deus, signum eum sibi futurum fœderis, ne diluuium, eum si respexerit, terras denuo obruat: illud vero maximam habet in Seruatore nostro similitudinem. Ipse enim excitatus ab inferis confedit ad dextram Dei, tanquam pontifex maximus & testis fœderis: de quo vltimis etiam temporibus Iobus, *testis meus, inquit, est in cælo, & cognitor meus in excelsis*, c. XVI, 19. Suorum ibi causam agit ineffabili precum genere, Patrique cælesti (ita si loqui liceat) inculcat identidem meriti sui & satisfactionis amplitudinem: quam quoties respexerit summum Numen, non potest non mirifica & plus quam paterna beneuolentia erga omnes, qui ad Filium supplices confugiunt, exardescere, illis parcere, fouere eos, & infinita tractare indulgentia.

Iam,



Iam, Ciues carissimi, ipsi inquiratis, huiusne fœderis suauitate vos etiam gaudeatis, an minus? Perbeatos quidem vos, si exploratum hoc & certum est vobis beneficium: nec enim quidquam deesse poterit. Deus est conciliatus, ille vobis vel iure iurando ab omni iræ sua & indignatione fatis cauit; ille recordatur vestrum, & quoties Filium suum respicit, (quem quidem nunquam non contemplatur) paterno amore molliorem in vos adfectum suscipit. Hoc igitur fœdere delectamini, inprimisque in illum intentis intuemini oculis, qui sub iridis imagine vobis iam sistitur: quem vtinam sic adamare disceretis, vt nihil in mente vestra nisi ipsius versaretur pulchritudo! Vtinam labores etiam vestri negotiaque, etiam omnis vita, omnia cogitata, eius amore & vera in eum fide imbuerentur! Ne defervescat amor! ne finite illum, qui antea suauiter exarserat, peccati delinimentis extinguui, aut rebus caducis earumque amore obrui! Penitius vos potius in ipsius insinuate consuetudinem, & parto per ipsum fœdere hilari, at etiam intento & vigilantissimo animo gaudete. Et, si non nunquam diuinus hic arcus post nubila lateat, adesse tamen credite, precibusque eum, donec adpareat, exquirite, id tamen tenentes, Patri vestro eum semper vestra causa adparere, etiam si vestro adspectui se subduxerit.

Sed, eheu! quot existimamus e vestro, Ciues carissimi, esse numero, quos inter & Deum fœdus nullum intercedat? Qui si externæ honestatis vmbra, & simulacro pietatis potius quam veritate, aliquid se adsequutos credunt; monemus eos, vt ita animos suos scrutentur, prout hi omniscio Numini patent, sibi que persuadeant, neminem, nisi denuo genitum, & familiæ Iesu Christi transcriptum, vel



partem regni cælorum ad se trahere posse: sin vero in multis ne umbra quidem illa honesti adparet, magis etiam reputare debent, quo loco res ipsorum sint. Omnibus vobis via munita est ad amicitiam summi Numinis, quam vtinam ingrederemini! Nec enim verum vobis otium atque pax erit animi, nisi a Iesu Christo adsequuti fueritis. Ille vero omnia vobis ad veram beatitatem expedita fecit, modo ipsi velit illa frui. Quid vero habet delectationis, seruum esse libidinum? æternamque pœnam atque mortem exhorrescere? sine Deo esse? nonne iucundum est magis, eius consuetudine frui, & amicum ac filium summi Numinis adpellari? Quin agite, Ciues carissimi, abrumpite illa, quibus obstricti estis, criminum vincula: quae, si vestris viribus diuelli nequeunt, omnibus precibus benignissimum Patrem fatigate, vt ipse rem vestram recipiat, vosque iuuet. Vtinam imis hæc animis atque medullis vestris infingerentur! vtinam hodie illa exsequeremini, dum vitam vobis Deus concedit! At vero, vtinam satis perspiceretis, quanta illa res set, quam a vobis exigimus, nec illam leui tractaretis brachio! Id vtinam vobis curæ esset, non solum vt flagitiis mitteretis nuntium, sed etiam vt vos damnare, & pristina crimina cum horrore animi disceretis execrari! His rebus igitur date festos dies, vt cum Christo moriamini, cum illo existatis ab inferis, vitamque æternam viuatis. P. P. ipsis paschalibus feriis A. clo lo cc xl.



Coll. Dss. A 180, nase 6